

## G O T

## H I A.

ijij 12 14

quo tempore singularia fuerunt jura, à reliquo  
rum legibus discrepantia, quæ hic, cum multis  
aliis, brevitatis cauæ omitto. In Tiustia sunt cu-  
pri mineræ nuper inventæ. In Tabergh mineræ  
sunt chalybis, effodiuntq; passim locis palu-  
dinosis, atq; ex lacubus explicantur ferri quan-  
dam inconditam massam, quam parvo labore  
sumptuque in ferrum optimum excoquunt.  
Civitates pro sua amplitudine, non adeo mul-  
tas habet cum à meridionali parte cingatur  
Hallandia, Scania, & Blekingia, quarum civita-  
tibus maritimis, mercimonia, ex internis mer-  
cibus suppeditat; rursumque ab iisdem externas  
merces accipit. Habet tamen Calmariam, Ie-  
necopiam, Vexo episcopalem, Ekesio & We-  
stervik.

*Oelandia.*

Oelandia insula amœna & fertilis, pecorum  
que ac jumentorum dives, equos etiam sylve-  
stres alit. Nec desunt venationes & aucupia.  
Arcem Burcholm & Ecclesias habet triginta  
duas.

Gotlandia insula pecorum dives est, habet &  
abietum frequentissimas sylvas, nec non & la-  
pides ad structuram utiles. In ea est civitas Vis-  
by; olim, cum regno Sueciæ parebat, empor-  
ium celeberrimum, nunc autem in oppidi  
formam redacta. De ea sic Bertius: In sinu Co-  
dano ex adverso Gothiæ insula est haud igno-  
bilis, quam Gotland vocant, in longum porre-  
cta, unicam habens urbem in latere Occiden-  
tali, nomine Wisbuy, veterem, & si quid historiæ  
credimus, ac ruinis superstibis, emporio  
quondam celeberrimam. Exstant hodieque &  
ostenduntur septem templo & aliquot mona-  
steria singulari artificio ex marmore exstruc-  
ta. Templo sunt, extra urbem B. Gregorii: in  
urbe B. Clementis, B. Olai, conditum ab Erico  
quem Cyprium vocant: B. Mariæ, S. Trinitatis;  
S. Laurentii, B. Ioannis, S. Petri, S. Michaelis,  
& S. Spiritus: Cœnobia, S. Nicolai, B. Iacobi,  
B. Catharinæ. Privatarum civium ædæ pleræ-  
que ingenti fastu & sumptu conditæ sunt, qui-  
bus vix pares habet vel Colonia, vel Noriber-  
ga. Creduntur his olim locis leges nauticæ con-  
ditæ communi mercatorum consensu. Initia  
urbis referuntur ad Winetæ urbis Vandalicæ  
exitium. Nam quum Wineta fluctibus demersa  
esset, dicuntur Sueones ex Gotlandia navigiis  
suis illuc profecti esse, & quidquid ex opero-  
fissimis ejus urbis structuris marmoreis, ferreis,  
æneisque, aut ex instrumento stanneo, æreo,  
argenteo, salvari potuit, abactis vento aquis  
eruisse, vel per urinatores eduxisse, & in Got-  
landiam transportasse; inter cætera vero æneas  
duas maximi ponderis portas eodem transtu-  
lisse. Hinc illæ Wisbiensibus divitiæ. Donec tan-  
dem ipsa quoque (ut est rerum humanarum  
viicissitudo) collapsa est, inque eum statum de-  
voluta, ut præter magnum nomen & memo-  
riam prioris status, vastaque rudera, & structu-  
ras antiquas, nihil reliquum habeat. Nostro

E V R. S E P T.

tempore præsidet urbi arcisq; Gubernator Re-  
gis Daniæ. Haud procul ab urbe spectantur im-  
manes quædam rupes, quibus epitaphia inscul-  
pta sunt litteris Gothicis, quæ curiosorum ho-  
minum ingenia hactenus exercuerunt. Anno  
M C C L X X X V I I I permisum civibus à Magno  
Daniæ Rege, urbem suam munire, sed restitere  
accolæ: cives tamen, quod orsi opus fuerant,  
absolverunt. Sequenti anno captus est immanis  
piscis, cuius ex alvo infans electus est. Anno  
M C C C L X I Waldemarus rex facta in Got-  
landiam cum magno exercitu exscensione Wis-  
biæ obfedit: cives ante portam Australem  
cum eo congressi, casæ sunt. Rex cum victore  
exercitu præda gravis, aurum, argentum, spo-  
liaque opima domum retulit. Periisse tunc  
dicuntur M D C C C cives. Existatque ad por-  
tam quam dixi cippus sepulcralis cum marmo-  
re, continente facti memoriam, Latinis litteris:  
**ANTE PORTAS VISBII IN MANIBVS  
DANORVM CECIDERVNTHIC SEPVLTI.**  
Postea anno M C C X C V I I I Dux Ericus filius  
Alberti regis obiit in Gotlandiæ castro quod  
Landescroone vocant, sepultus autem est Visbiæ  
in facello B. Virginis. Anno M C C X C V I I I  
ipso Benedicti Abbatis festo venerunt milites  
domus Teutonicæ ex Borussia in Gotlandiam,  
omniq; insula & oppido potiti sunt. Post quin-  
quennium Dani Suevique cunctis copiis quum  
res suas venirent repetitum, pulsi sunt & fugati  
à Teutonicis. Anno M C C C V I I I restituta est  
Danis Gotlandia pro ix millibus aureorum no-  
biliarum. Pro insigni habet urbs agnum gesta-  
tem crucem cum vexillo: in cuius ambitu scri-  
ptum, **AGNVS DEI QVI TOLLIS PEC-  
CATA MVNDI MISERERE NOBIS. ET  
DA ÆTERNAM PACEM TEMPORIBVS  
NOSTRIS.** De hujus insulæ, sicut etiam de  
Scaniæ, Hallandiæ & Blekingiæ dominio, inter  
reges, armis, inter scriptores vero, calamis, diu  
varieque certatum est; aliis jus, aliis vero præ-  
scriptionem prætententibus: quorum contro-  
versias brevitatis causa non attingo. Parent  
autem hodie Regi Daniæ.

Scania frugibus atque pecoribus apta, sylvis, *Scania*,  
venationibusque gaudet. Huic etiam quidam  
auri, argenti, æris & plumbi inexhaustas attri-  
buunt venas, nusquam ibi repertas, nisi illam  
forte commemorare velint auri argenteique ve-  
nam, quæ vicini suppeditat freti telonium. Sed  
condonandum est illis, quod Scaniæ vel Scan-  
diæ, ejusque particulæ Scaniæ discrimen non a-  
nimadverterint. Trans Hellespontum, inquit  
Chytreus, Scania, amplissima illius peninsula or-  
bis Arctoi, quam Scandiam & Scandinaviæ Plin.  
& alterum orbem terrarum appellat, pars me-  
ridiem versus extrema. Verè pulchra & amœ-  
na, frugum fertilissima & frequentia hominum  
ac oppidis cultissima est. quorum in ora occi-  
dua & meridiana, Helsenburgum, Landscoro-  
na, L V N D A arch. olim sedes, Ellebogen splen-  
dore

N